DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE DYSPEPSIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ED. A. DOUGLASS,

Hibernus.

Appetitus rationi obtemperet.—CIC.

CALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXI.

VIRO SPECTATISSIMO

ET AMICO STABILISSIMO,

SAMUELI ALLEN, M. D.

ARMIGERO,

DE *LISCONNAN*;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS QUALESCUNQUE,

ANIMI GRATISSIMI

PIGNUS PEREXIGUUM,

OFFERT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSPEPSIA.

PRÆFATIO.

SOLENNIBUS hujus Academiæ inter scholas medicas illustrissimæ statutis jubentibus, ut quisque summos in medicina honores ambiens, dissertationem inauguralem de aliqua re medica scribat, ad hanc rem perficiendam memet accingens, de Dyspepsia disserere in animum induxi.

Ingenium equidem et doctrinam ad hoc munus rite fungiendum mihi quam plurimum deesse satis scio; vestræ autem fidei humanitatique, spectatissimi Viri, meipsum commendo, tradoque; bona, si qua tamen sunt bona, vos non neglecturos mihi persuasum habeo; maculis erroribusque

quibus ne abunde scateat vereor, veniam detis, vosque bonos facilesque præbeatis, oro.

Corpus humanum plurimis variisque morbis est obnoxium, præcipue si fons ipse ex quo fluida solidaque corporis originem ducunt male se habet, multæ et periculosæ affectiones oriuntur.

In hoc seculo, voluptati, luxuriæ, omnique intemperantiæ, plus nimio dedito, ventriculi morbi frequenter sese ostendunt.

Non solum gulæ improbæ et intemperiei consulentes; sed etiam ii a vino, ciboque parcentes, quive sese literis avidius dedunt, vitam sedentariam agentes, sæpe prava concoctione afficiuntur.

Ventriculi vitia injurias aliarum partium corporis humani graves cito afferunt, morbique alias partes corporis invadentes, citius aut serius ventriculum affligunt, et munera ejus impediunt.

MORBI DEFINITIO.

Difficillimum est morbum de quo agitur accurate definire. Cullenus ipse enumerationem præcipuorum ejus signorum in definitionis

locum substituit. Hujus nosologi celeberrimi hæc sunt verba :

"Anorexia, nausea, vomitus, inflatio, ructus, ruminatio, cardialgia, gastrodynia, pauciora saltem vel plura horum simul concurrentia, plerumque cum alvo adstricta, et sine alio vel ventriculi ipsius vel aliarum partium morbo*."

HISTORIA MORBI.

Inter primaria hujusce morbi signa hæc annumeranda sunt, nausea, anxietas, somnus inquietus, salivæ tenacis viscosæque secretio, glutinoso ori conjuncta ; lingua, maxime ad partem posteriorem, sordibus obsita ; ponderis et plenitudinis ventriculi sensus, et post cibum sumptum molestia plus minusve gravis.

Morbo progrediente vomitus, inflatio, ventriculi distentio succedunt, cruditate ventriculi, parva sorbendi difficultate, dolore ægritudineque animi, fere comitantibus. Interdum vox prope supprimitur, dum vertigo quoque cordis-

* Vide Nos. Method. Gen. Morb. xliv.

que palpitatio, ægrum premunt. Alvus fere astricta est; hæc autem astrictio nunc nunc diarrhœa gravissima excipitur, hincque dolores colici oriuntur.

In hoc statu dejectiones sæpissime virides sunt, ægerque massa parva, rotunda, dura, Scybalæ appellata, per anum excernit.

Si alvus per aliquot dies constitit, tuncque libere solvitur, haud parvo in abdomine torpore doloreque æger afficitur, et urina pallida fit.

Morbo ingravescente, ventriculi dolor gravior fit, rariusque intermittit, cibus sæpe rejicitur, liquoremque amarum, rancidum, et nonnunquam etiam putridum, evomit ægrotans. Nunc appetitus valde augetur, nunc autem pene deficit. Inde succedunt capitis dolor, terrorque ex somno expergiscentis, lingua sordibus oblita, gustus in ore injucundus, cum acore comitatus, nec desunt exempla quibus spiritus fœtidus factus sit. Uvula interdum et velum pendulum palati magnopere relaxantur, dolorem summum afferentia. Oculi hebescunt, globique dolore afficiuntur. Tinnitus quoque aurium, palpitatio et crebri gravesque dolores per frontem lancinantes, ægrotum vex-

ant. Pulsus modo tardus fere autem velox, semperque debilis atque abnormis fit; membra, et ventriculi sedes frigescunt, dum apud quosdam animus valde irritabilis metuque oppressus est.

Qui secus quam decuit, deliciisque interdictis dediti, vixerunt, ii summa siti, crebro vomitu, mapræsertim, appetitus defectu, asthmate, summa debilitate, pallore vultus, languore, et demum intumescentiis aquosis, affliguntur.

Cum hucusque perventum est, æger noctes inquietas agit, ex somno sæpissime expergiscens; si se vel minimum exercit, summa debilitate, fatigationeque opprimitur; sensus oculorum hebes, vultus languidus fit, memoria labat, vigor animi obtusus, nec sine maxima molestia mente uti potest, et mania quoque, humanorum malorum maximum, haud raro invadit.

Hoc statu ventriculus cibi impatiens paululum modo retinere potest; aut interdum motus peristalticus viscerorum præter naturam augetur, et cruda indigestaque per anum excernuntur.

Hic morbus in anasarcam frequenter abit; humores aquosi in telam cellulosam cavitatesque corporis effunduntur; crura, manus, et facies tu-

ment, aliaque hydropis signa sese ostendunt; demum febris hectica, cum sudoribus nocturnis et diarrhœa colliquativa ægrotos miserandos invadunt, et in hoc tandem statu, mors cito eos vitæ ejusque doloribus eripit.

DIAGNOSIS.

Hypochondriasis.—Hic morbus et Dyspepsia sæpe conjunguntur; eos temperamento melancholico imbutos hypochondriasis fere, eos autem temperamenti sanguinei raro invadit.

Hi quanquam duo morbi paucis in rebus similes sunt, in aliis multum dissident; acor enim et inflatio in hypochondriasi nihilo minus graves quam in Dyspepsia fortasse evadant, hypochondriaci rarius vero anorexia, vel affectionibus violentioribus, corripiuntur.

Quinetiam, indicia in ætate ineunte Dyspepsiæ sæpe apparent, et ætate provectiore frequentius mitescunt. Hypochondriasis contra rarius ante ætatem mediam sese ostendit, et annis senescentibus signa vulgo augentur.

Porro, in Dyspepsia alvus modo laxa modo pigra; in hypochondriasi vero fere semper pigra.

Hepatitis.—Dyspepsia frequenter ab hepatitide chronica procedit; ergo judicemus oportet, seu ventriculus seu hepar primum se male habeat.

Hepatitide chronica correpti dolores fugaces sæpius sentiunt, qui aëre per os erumpente aliquando alleviantur. Illud vero pendere videtur a pressura hepatis amplificati super ventriculum distentum, ideoque præcipue post cibum sumptum apparet.

Quinetiam, hic dolor suam sedem crebro mutat, et humerum dextrum nonnunquam infestat.

Decumbente quoque super sinistrum latus, dolor sensusque gravitatis et plenitudinis inhy pochondrio dextro ægro plerumque sentitur; ipsum hepar fere amplificatur, eoque presso, dolor plus minusve est.

Podagra Atonica.—Difficile aliquando est inter hos duos morbos distinguere. Si æger subito cum omnibus Dyspepsiæ signis tentetur, et præsertim si ejus majores proclivitate ad podagram

hæreditariam imbuti fuerint; porro si juncturæ minores prius male se habent quam ventriculi affectiones invadunt, deinde hæc mala ad diathesin arthriticam imputare licet. Podagra atonica non ventriculum solum, aliquando autem viscera thoracis infestat; palpitationesque cordis violentæ, vertigo, deliquium animi, et asthma, cum dolore capitis nunquam intermittente, interdumque paralysi, ægrum opprimunt.

Qui ætate provecti sunt, quique luxuriæ voluptatibusque sese plus nimio dederunt, eos fere podagra atonica repente invadit; dum Dyspepsiæ signa, ineunte ætate, conspici possunt, diuque haud graviores existentes, crescentibus annis, sæpe mitescunt.

Calculus biliarius.—Si dolor ventriculi cessat cum ictus supervenit, vel quando calculi biliares per anum dejiciuntur, causa deinde morbi exponitur. Si dolor interdum fere intolerabilis sit, et intermissiones sæpe habeat, et denique si æger valetudine aliter bona utatur, deinde calculos in ductibus biliariis suspectum habere licet.

Calculus in Vesica.—Ii calculo in vesica affecti, cupiditatem frequentem urinæ reddendæ sentiunt; urina in suo cursu dividitur; dolorque et color post urinam redditam urgent; extremitas quoque urethræ cruciatibus quam maximis afficitur; pulsus fere naturalis, et æger alias bene se habet.

Post equitationem vel ambulationem omnes dolores multum augentur, ægerque aliquando hæmaturia corripitur.

In Dyspepsia non illa signa solum absunt, sed symptomata omnia fere exercitatione moderata mitigantur.

Chlorosis.—Appetitus in Chlorosi fere semper multum vitiatur, et desiderio rerum non esculentarum summo sæpius corripitur; dum qui Dyspepsia laborant, anorexia et aliis signis supra memoratis tentantur.

In Chlorosi tumores quoque molles ab initio apparent, dum in Dyspepsia non nisi ad finem versus sese ostendunt.

Denique, in Chlorosi catamenia retinetur, sed in Dyspepsia idiopathica rite fluit, diagnosinque inter duos morbos præbet.

Scirrhus Pylori.—In hoc morbo hypochondrii dextri dolor perpetuus et fixus, post cibum sumptum augetur, tumorem aliquando, pressione manus, in hypochondrio dextro percipimus, et post horam fere elapsam vomitus frequens et urgens, alvusque semper astricta est.

Quando pylorus inflammatione corripitur, pus subito formatur, quod vel per os vel per anum rejicitur.

CAUSÆ.

In prima classe causarum, quæ in ventriculum recepta, eumque male afficiunt, ea sunt ennumeranda, viz. repletio frequens et immodica; nimia in usu, vini et spiritus stillati, opii, theæ, coffeæ, tabaci, amarorum, &c. indulgentia. Ii his diu utentis pravam concoctionem, vix ac ne vix quidem effugere possunt.

Nimia distentio ventriculi, secretionem succi gastrici justam prohibet, cruda indigestaque mole ventriculum, canalemque alimentarium afficiente; ii male se habent, earum munera impediuntur, et Dyspepsia inducitur.

Porro, si alimenta nec rite manduntur, nec saliva bene miscentur, tunc concoctio difficilior evadit.

Usus Vini Intemperans.—Hic liquor fermentationem acidam cito subit, et acorem in ventriculo promptius gignit; usum ejus immoderatum debilitas, semper major quam excitatio antecedens, sequitur. Vinum primum stimulat, brevi autem vel somnum vel soporem inducit, et sapore ingrato, siti, et debilitate totius corporis generali, hominem tentat.

Spiritus stillatitii usus nimius.—Liquores spirituosi plus etiam excitant, imaginationem vivificant, immodiceque hausti sæpe delirium afferunt: hæc autem excitatio sensu frigoris, nausea, anorexia, cum aliis debilitatis corporis generalis signis, succeditur: ventriculus citius aut serius, irritabilis, debilis, infirmusque redditur, et omnia Dyspepsiæ signa in pejus ruunt: tremoresque, paralysis, somnus perturbatus, et intumescentia aquosa, cum affectionibus hepatis, demum superveniunt.

Opium.—Opium nervos ventriculi afficere videtur, debilitatem musculosarum fibrarum inducens, et ita vires naturales minuens. Opium primo corpus stimulat, inde autem debilitas multo major semper sequitur.

Apud Turcos, et quoque apud nostrates, exempla plurima habemus, in quibus mala opii, in magnis dosibus, adhibiti, non immediate apparent. Sed citius aut serius ejus usu continuato, munera varia, et animalia, et ad mentem pertinentia, afficiuntur.

Nicotiana Tabacum.—Hæc planta sive mandatur, sive fumi forma sumatur, injurias insignes ventriculo adfert; glandulasque salivares stimulans, ad jacturam nimiam salivæ incitat: ab effectibus fumi sedativis, in doloribus violentis colicis sæpe usurpatur.

In ventriculum, sub quavis forma recepta, plurimum sedat: et hinc ventriculi nervos, atoniam fibrarumque musculosarum debilitatem inducens, afficere videtur.

Theæ Infusio Foliorum, in primis viridis

theæ, hausta meracior et calida, ventriculo plurimum nocet. Noster GREGORY in suis prælectionibus, hoc quoque confirmat.

Coffea, haud æque ac thea, ventriculo nocet; alvum veruntamen promptius supprimit.

Amara, diu adhibita, concoctionis vim debilitant, iisque præterea cum alcohole fere mixtis, usus eorum continuatus habitum, fœcundiores calices spiritus stillati hauriendi, malum inferre potest.

In secunda causarum classe, quæ totum corpus vel partes quasvis afficiunt, ea habenda sunt, et actione quorum ventriculus postea male se habet.

Vita iners, nimium studii, habitusve animi deprimentes, atomiam debilitatemque ventriculi inducere videntur, secretiones languent, alvus tardatur, et ictus cordis arteriarumque debilitatur.

Quinetiam Dyspepsia Idiopathica ex aliis causis, nempe, aëre impuro, vomitu frequente, rejectione salivæ, frigore cum humore conjuncto, Venere plus æquo culta, &c. &c. ortum ducat.

Sanitate generali affecta, aut cum irritatio magna, ex morbo locali originem trahens, ægrum vexat, ventriculus, ex intimo consensu inter eum variasque corporis partes intercedente, haud dubio afficitur.

SYMPTOMATUM RATIO.

Anorexia.—Fibris musculosis succi gastrici satis secernere haud valentibus, aut eo, quem secernunt, vitiato, appetitum deficere verisimile est. Ventriculo debili, cibi desiderium diminui, usus satis docet.

Nausea et Vomitus, ab eodem causa ortum ducunt, nam quum ventriculus molestia quadam opprimitur, natura id quod dolet expellere conatur. Inde nausea primo oritur, motum antiperistalticum inducens, postea diaphragmatis musculorumque abdominalium ope vomitus plenus effertur.

Inflatio et Ructus.—Ventriculo etiam sano quædam fermentatio inesse videtur, sed aër sic ge-

neratus cito absorbetur; multam concoctio mala fermentationem efficit, aëreque ventriculus distenditur.

Ex experimentis in aëra e ventriculo evolutum nuper factis *, consistere ex oxygenio, hydrogenio, acido carbonico et azotio patet, cujus azotium multum majorem partem efficit: ratioque cur hoc tantum superest esse videtur, quod cum aliis aëribus sese non facile conjungit.

Aër quoque cibo mistus est, et in ventriculum receptus absorbitur, nonnullus etiam a vasis sanguinem vehentibus secerni existimatur.

Doctor GORDON, nuper Edinburgi defunctus, aëra in ventriculo eorum prava concoctione laborantium, causam palpitationis cordis, et pulsus intermittentis esse, credebat; propterea quod eis medicamentis quæ aërem a ventriculo depellunt, hæc signa semper mitigantur.

Cardialgia et Gastrodynia.—Concoctione in vitiata acri humore ventriculus vulgo afficitur, qui mucum præsertim apud cardiacum cito corro-

---

* *Vide* Physiol. MAJENDIE.

dit, sensumque acrem ardentemque, qui per œsophagum ad os usque interdum attingit.

Ex spasmo fibrarum ventriculi musculosarum, gastrodynia suam originem trahit.

Alvi Tarditas, ex torpore et debilitate fibrarum ventriculi musculosarum longitudinalium, et intestinorum, justo ventriculi tono amisso, ortum ducit; alimentaque per pylorum in duodenum tardius propelluntur, hinc motus peristalticus solitus partes apud superiores haud satis excitatus, intestinis in majoribus ad rectum versus descendens, tardior etiam evadit.

PROGNOSIS.

Hic morbus, quamvis plerumque haud facilis medendi, periculo sine magno, diu durare potest. Cum ægrotum recentissime invaserit, et causa plana sit ejus stimuli defectus, sine quo valere non possumus, nempe exercitationis, puri aëris, vel cibi aut non idonei, aut parum nutrientis; tunc, cum his causis facile obstari possit, bonum exitum sperare licet.

Sed si illos, qui ætate provectiore sunt, invadat, si idoneis sæpe levata sit remediis, iterum iterumque revertens, si morbi graviores, ut febris hectica, hydrops, aut cachexia generalis, superveniant, tunc multum periculi sane ægrotis affertur.

RATIO MEDENDI.

Ad hunc morbum sanandum, auctore celeberrimo Culleno, tria necessaria sunt habenda. Primo, causas remotas vitemus; deinde, quæ morbum augent, ea signa pellamus; denique, ventriculi tonum confirmemus, oportet.

Si digestio depravata ex aliquibus causarum supra memoratarum oriatur, nempe, usu vini, opii, &c. &c. nimio, morbus, his omnino relictis, sæpe tollitur, præsertim si ægrotus sit juvenis, viresque nunquam antea morbis affectæ, apud ventriculum vini stimulo, aut spirituum usui diu assuetum, ea repente non sunt relinquenda, nam morbi gravio-

res pestiferique sequi possunt. Eos his diu assuetos vini cyathos aut duo etiamnum haurire oportet; immodicus autum usus omnino prohibendus.

Quæ signa morbum augent continuantque ut pellamus, interdum vix fieri potest. Si appetitus deficit, si nausea adest, et ponderis ægritudinisque sensus in ventriculo, ortum, ut videtur, ex cibis crudis praveque concoctis ducens, lenis emeticus, quippe qui ventriculum exinanire possit, dandus est. Sed emetici sæpius adhibiti injuriam haud parvam afferunt, nam et ventriculi tonum debilitant et Dyspepsiam gignunt. Ventriculum porro perpurgare possumus, Magnesia, pulvereque Rhei palmati. Partes Magnesiæ tres, Rhei palmati pulveris una, Zingiberis pulveris semisse commisceantur, et circiter drachma ante prandium adhibeatur. Pulvis Rhei palmati melius Jalapo, ventriculo placere videtur; quum ægro magnesia displicet, grana pilulæ Rhei compositi pauca adhiberi possunt. Purgantibus drasticis ut et emeticis objici solet; nam utraque ventriculum debilitant; et ventriculo multum debilitato cibus fre-

quens ejicitur. Sed si vomitus levis est, signaque mitigari videntur, inde hoc cogitandum est conatus naturæ ad id, unde dolor oritur, ejiciendum; sed immodicus longeque continuatus ventriculi vires attenuat, valdeque periculosus habendus est.

Ad vomitus violentos impediendos, opium aut in ventriculum receptum, aut ad epigastrii regionem forma cataplasmatis admotum, haustus effervescens, epispastica, et sinapismata, adhiberi debent. Ventriculo dolore acuto affecto, anodyna, enema per anum injecta, plurimum valent; nec desunt medici qui salem communem in ventriculum receptum, multum vim ad vomitum immodicum cohibendum, habere credant.

Doctor Home, semiuncia puræ Sodæ Muriatis in quatuor aquæ unciis soluta, cum duobus Acidi Muriatici drachmis, ad nauseam vomitumque alleviandum uti solet; hujus semidrachma pro dose sumatur.

In illa affectione gravi gastrodynia, ex contractione fibrarum ventriculi musculosarum spasmodica, oriente, medicamenta antispasmodica, sicuti,

Ammonia, Moschus, Æther sulphuricus, et Gummi fœtida, inter optima sunt enumeranda. Oxydum Bismuthii etiam multum laudatur. Sed ex omnibus remediis quæ adhiberi solent, Opium plurimum pollere videtur.

Ad alvum autem purgatu curandum, quidam Rheum palmatum, Magnesiam, mitioraque laxantia, catharticis salinis anteponunt.

Cumque causa hujus morbi interdum sit alvus astricta, necesse est ut ad viscera evacuanda conatus quotidie fiat, et quamvis primo parum proficiat, tamen quotidiano usu alvus solutior evadat, atque viscera singulis diebus ad justumque tempus evacuantur.

Ventriculum ad firmandum vimque corporis corroborandam, aëra ruris purum, cum exercitatione modica, plus omni medicina valere, nemo tam rudis tamque indoctus est qui non sciat ; ad hoc quidem clarissimus Doctor Gregory, in suis de Medicina Practica prælectionibus, auditorum animos maxime convertit ; nihil affirmare dubitans quin aër purus, exercitatioque modica, multam ad valetudinem, et ad tonum ventriculi justum reducendum, conferat.

Amara, non diu sine intermissione adhibita, utilia, ad vires corporis firmandas, inveniuntur. Horum tonica vegetabilia, Cinchona, Quassia, Columba, Gentiana, Anthemis nobilis, optima esse videntur ; et tonicorum fossilium, variæ ferri præparationes, nempe, Tinctura muriatis ferri, Carbonas ferri, &c. &c. inter cætera, eminent. Carbonas ferri præcipitata, extractumque Cinchonæ, in pilulas factum, multum signis dyspepticis levamenti afferunt.

Utentibus ferri præparationibus, excrementa nigri coloris sese ostendunt.

Oxydo ferri interdum bene uti possumus, et hujus quinque ad decem grana per singulas dies sumantur. Aquæ chalybeatæ et minerales in dyspepsia non sine fructu bibuntur, visque earum ad valetudinem firmandum magnopere augetur, quum apud fontem hausti fuerint, nam mens ægri, variis ludis apud ea loca inveniendis, delectatur, tristiumque meditationum et curarum obliviscitur.

Ex vi balnei frigidi tonica iis dyspepsia affectis multum boni sæpissime oritur. Primo, tamen una aquæ tepidæ cum quatuor frigidæ partibus

misceatur, deinde temperiem gradatim minuendo æger melius sese habebit. Balneum autem pluviale sine dubio multum anteponere debemus.

In hoc morbo diæta nutriens facilisque concoctionis esse debet. Cibo animali, olere mixto, homo plerumque gaudet; sed ut in hoc morbo olus facillime in ventriculo acescit, cibus animalis præcipue sumatur, cura adhibita ut recte mandatur, et portio modica, tempore uno, capiatur.

Dyspepticis jejunia longa multum nocent. Inter cibi capiendi tempora non amplius spatio trium aut quatuor horarum intercedere debet. Cibus opimus, oleosus, præsertim pistorius, est evitandus.

In Dyspepsia aquam bibere præstat, sed vini pauca pocula, qualia vini *Maderensis*, haud omnino interdicenda sunt. Sed si his ventriculus male sese habet, aciditasque gignitur, spiritus multa aqua diluti paululum in ejus locum substituatur. Sed usum hujus immoderatum, præcipue stillati, interdicamus oportet.

Quin ventriculi affectio irritationem aut morbos aliarum corporis partium sequitur, tunc morbi

alius vel irritationis symptomaticus est. Hincque patet causam primariam tollere oportet. Hac autem sublata ventriculum in pristinum statum redeuntem, muneribusque solitis fungentem, plerumque invenimus.

FINIS.